

Jacob Sebastian Lauremberg Gothofredus Beggerow

Disputatio Iuridica De Solutionibus

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732602777>

Druck Freier  Zugang



Vertragsauflösung

J. S. Laurenberg (S. Deggeler)

R. U. in. 1656.

DISPUTATIO JURIDICA
De
SOLUTIONIBUS

Quam

D. T. O. M. A.

Indultu & Autoritate Amplissimi Ictorum
Ordinis in Alma ad Varnum Academia

Sub Praesidio

VIRI

Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. JACOBI SEBASTIANI

LAURENBERGII, J.U.D. & Historiarum

Professoris celeberrimi, Fautoris, Hospitis

ac Praeceptoris sui summè

venerandi,

Ad d. 29. Martii in Auditorio Majori


horis consuetis

Publicæ ventilationi subicit

GOTHOFREDUS BEGGEROVIUS,

TREPTOA POMERANUS

Author & Respondens:



ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.

Anno 1656.



VENERANDO SENI
VIRO

Amplissimo ac Prudentissimo

DN. JOACHIMO Greinhöfel/

Consuli Civitatis ac Reipublicæ Pa-
triæ longè gravissimo, A VO SUO propter im-
merita merita vultu, corde & vita ætatem
observando ac VENE-
RANDO

Hasce studiorum suorum primitias ceu
debitæ observantiæ & filialis
obedientiæ *Текнической* dicat &
consecrat

Gothofredus Beggerius.



Lristis & dura vox est SOLVE: cui nisi paritum fuerit, numellæ, & compedes, carcerisq; sqallor & illatrabiles molestiæ expectanda debitori veniunt. Hanc audire apud *Persas* probrosum, apud quos *Plutarcho Choeronen-* si teste *comment. de vitando ere alieno*, princeps flagitium habebatur debere, alterum mentiri: at sicuti nobis, qui Germani cluimus,

novissimum ex his gloriosum interq; Politicæ prudentiæ secreta, atq; artes vafriter fallendi ditescendiq; connumeratur, ita illud alterum familiare est & excusatissimum; nimirum sic poscente ærumnabili temporum, quæ nunc fluunt, condicione, quibus ferè ventum ad priscam veterum paupertatem, nummorumq; inopia ubiq; miserrimè laboratur. *Calistratus* *ICtus* cognitionum numerum dispescit in genera quatuor; aut enim ait, de honoribus gerendis, aut de re pecuniaria, aut de existimatione alicujus, aut de capitali crimine disceptari atq; quæri *L. 5 ff. de variis & extraord. cogni.* Quære sis tu, ex iis, qui operam litigantibus dant juriq; præ sunt dicundo, quorum porissimum contentionibus rixisq; tribunalia perstrepant, auresq; sibi obtundi experiantur, atq; exsurdari hodie: Creditorum respondebunt, fœnerasse se clamitantium atq; dedisse mtuo: tum debitorum dein effugia solutionis calumniosè quærentium, & aut maturius exactæ, aut jam expeditæ pecuniæ colores obtentusq;. Hinc cum adeo frequens hodie sit argumentum hoc, agireturq; subinde de expungendis nominibus, ærisq; alieni renumeratione, indolem SOLUTIONIS, & præcipua strictim investigare, proponereq; animo sedet. Tu DEUS alme destinatis adspira clementer.

THESIS PRIMA.

Solutionis vocabulum, sicuti & alia pluscula in jure, quandoq; generaliter sumitur, quandoq; specialiter; generaliter acceptum.

A omnes

omnes omnino tollendæ obligationis modos L. 54 ff. de solut. l. 176. de V.
S. Rittershus ad pr. J. quib. mod. obl. toll. V. Vesenbecius in π. de solut. n. 1. Joh.
Althusius Dicaologia l. 2. c. 14. n. 6. Zuichem, Viglius in methodo Jur. Civil. l.
24. c. 6. Specialiter primum principemq; horum continet §. 1. J. quib.
mod. obl. toll. quod nostræ brevis dissertationis erit argumentum.

II.

Defcribimus solutionem (periculosa enim omnis est in jure defi-
nitio l. 202. ff. de R. J.) quod sit præstatio realis ejus, quod debetur, legi-
timè facta creditori, vel mandato illius alii, à debitore, tertiove, sine
hoc & animo, ut quod solutum est, penes creditorem maneat, profi-
ciatq; debitori ad liberationem.

III.

Præstationis realis vocabulo uti placuit, quia soluta pecunia
strictè loquendo intelligitur, quæ repræsentata, & naturaliter ad nu-
merata est creditori, ut docet Marciannus in l. 49. ff. h. t. facit huc l. 6. ff. quibus
mop. pig. rel. hypoth. Solv. l. 19. C. de usur Hartmann. Pistor. observ. 124 n. 22. Ro-
landus à Valle vol. 1. consil. 53. n. 44. Gædde. part. 3. disp. 12. super π. q. 2.
unde licet compensatio l. 4. ff. qui pot. in pign. l. 20. §. 2. ff. de statulib. §. 30.
J. de action. delegatio l. 8. §. 3. ff. ad Sc. Vellei. cautio facta l. 19. c. ad L. Fal-
cid. acceptilatio §. 1. J. quib. mod. toll. oblig. Novatio §. 3. ibid. confusio l.
95. §. 2. hic. Expromissionis datio §. 41 J. de rer. divis. oblatio & obli-
gnatio rei debitæ l. 30. 39. h. t. l. 6. C. ib. pactum de non petendo §. 3. J. de
except. verbo: quæcunq; introductæ jure nostro, cognitæq; sunt libe-
rationum species, effectu, vi & potestate solutioni in specie sic dictæ,
pares sint, tamen quoad satisfaciendi modum differunt exemplo hy-
pothecæ & pignoris §. 7 J. de action. cætera definitionis ex sequentibus
patescent.

IV.

Et vero, ac veluti si quæramus, an valeat testamentum, im-
pris animadvertere debemus, an is qui fecerit habuerit testamenti facti-
onem, deinde si habuerit, requiremus, an secundum Regulas juris ci-
vilis testatus sit. l. 4. qui testam. fac. poss. ita decet nos primum sollicitos esse
de solventis persona, & iis qui possint debeantq; solvere, antequam sol-
vendi modum, cæteraq; huc facientia investigemus; de hoc ergo pri-
mum arg. l. 14. ff. de jur. codicill. l. 24. C. de Procurat. Regulariter solutio,
ipsi debitori incumbit, cui sicut non est arbitrarium non solvere
cum

cum necessitate adstringatur *pr. J. de oblig. l. 108. de V. S.* ita quandoq; ab eo facta effectu destituitur propter conditionem personarum; Ita furiosum *l. 5. ff. de R. J. §. 8. J. de inutil. stipul. prodigum §. 2. J. quib. non est permiss. fac. testam. l. 6. ff. de V. O. l. 1. de curat. furios. pupillum per se solum §. ult. J. quib. alien. non lic. l. 14. §. fin. ff. de solut. non recte solvere expeditum est, nec habet dubitationem. Nec melior hic minoris curatorem habentis, quam pupilli condicio est. *L. 3. C. de Rest. in Int.**

V.

Quandoq; vero pro debitore solvit ex mandato Procurator *l. ff. de Procurat. §. 42. J. de Rer. divis. §. 1. J. Mandat. l. 56. ff. de solut. vid. Johannes Bernbardus Diaz in Fallentiis Regularum Juris regula 690. heres, qui sicut locum defuncti intrat. l. 24. de V. S. l. 62. de R. J. ita onera ejus subit §. 7. J. de Fideic. Hered. teneturq; satisfacere primo venientibus creditoribus *l. 22. §. 4 C. de jur. deliber. bona tamen fide sine gratificatione l. 6. §. 2. ff. de Reb. aut. jud. possid. l. 24. ff. que in fraud. credit.* Sic pro filio familias obligato pater solvere potest, quod est in peculio; scilicet si suo, non filii nomine solvere velit *l. 59 ff. h. t.* quod si hujus (qui ex omni omnino contractu, excepto mutuo obligatur *§. 6. J. de inutil. stip. junct. §. 7. J. quod cum eo qui in alien. pot. l. 57. ff. de jud. l. 39 ff. de O. & A. l. 6. C. quod cum eo & c.*) nisi solidum pendere paratus sit, repelli posse videtur *l. 1. §. 1. & ll. seq. ff. de const. pec.**

VI.

Amplius & qui mandatum non habet, pro ignorante imo etiam invito recte solvit *pr. l. quib. mod. obl. toll. cum jure civili constitutum.* sit, ut horum, ignorantis intellige & inviti, condicionem liceat meliorem facere, & sic creditori pariter & debitori prodesse, huncq; eximere obligationis nexu *l. 39. ff. de Negot. gest. l. 23. 40. l. 53 ff. h. t.* Ita ergo liberatur non volens solum, sed & ignarus atq; invitus debitor *Roland. a Valle vol. 1. consil. 14. n. 10.* quia hoc beneficium liberationis non tam pendet ex voluntate liberati, quam creditoris, negociumq; cum hoc magis quam illo gestum intelligitur, quippe is cui debetur, vel invito debitore distrahere potest nomen, seu obligationem *l. 3. & 1. C. de Heredit. vel action. vend.* Sed quoad solventium personas omnino est differentia; nam qui jussus solvit mandati, qui pro ignorante negociorum gestorum habet actionem *§. 1. I. de Oblig. que ex quas. contr. Rosredus Beneventanus Questione Sabbatina 22. n. 6.* nisi si

quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solvi l. 43. ff. de negoc. quid enim si diēs solvendi nondum venerit? quid si debitor retentione, quid si compensatione potuisset uti! at qui invitum liberavit, nullo juris remedio indemnitati suæ consulere poterit, sed donasse præsumitur l. 6. §. 2 ff. Mand. l. f. C. de Neg. gest.

VII.

Porro sicuti ex duobus correis promittendi, quis in solidum debet, uniq; ex his solvere licet totam quantitatem, & solvendo omnem perimere obligationem §. 1. l. de duob. reis stipul. l. 2. ff. ib. Ita nec illud prohibitum videtur, ne à reo, creditori solvatur l. 42. ff. de solut. quam solutionem etiam post condemnationem & sententiam fiscum ratam habere teneri aimus ex l. 2. C. ad L. Jul. de vi publ. l. 5. c. de bon. Proscript.

VIII.

Consequens est, ut nunc dispiciamus, quibus solvi possit, debeatve. Hic in acie conlocamus creditorem ipsum, etiam in reatu constitutum l. 41. ff. b. t. l. 46. §. 6. de jur. fisci nisi conscientia sceleris profugerit; huic enim nihil solvendum medio tempore, ne per hoc fuga ejus instruatur Ictus Modestinus monet in l. f. §. fin. D. de requir. & abs damn. vel nimis horrendo crimini caput alligaverit, feceritq; se reum l. fin. ff. & l. ult. C. ad l. Jul. Maj. l. 31. §. f. ff. de donat. Novell. 134. c. ult. Aut. bona damnatorum C. de bon. Proscript. Tum præterea heredes, in quos utpote Jutis successores, ea quoq; quæ in nominibus sunt transcunt l. 37. ff. de acquir. hered. l. XI. ff. de div. & temp. Proscript. tt. c. action. ut ab hered. & contra hered. inc. horum si plures sint unius creditoris, pro parte hereditaria cuiq; solutio fiet l. 1. 2. C. de hered. action. at quibusdam interpellantibus dari quidem quod debetur potest; consultius tamen erit solvere interveniente jussu Magistratus & auctoritate l. 81. §. 1. ff. de solut.

IX.

Sed quid si plures creditores sint unius debitoris? primo solvendum est iis, qui privilegio exigendi gaudent ut loquitur l. 24. §. 1 ff. de Reb. aut. jud. poss. de quo argumento tractant. tt. D. & C. qui pot. in pign. qui in prior. credit. loc. succed. de Privil. fisci & alii. post hos dein æquale jus habentibus æquali portione pro rata debiti quantitate ex bonis communis debitoris, omnibus creditoribus consuli debet. l. 6. C. de bon. aut. jud

jud. poss. concurrentibus vero credendi correis gratificationi locus est l. 31. §. 1. ff. de Novat. l. 13 §. f. ff. de acceptil. priusquam ab altero res fuerit petita, si enim is semel egerit, intercipitur præventionem illam liberras solvendi alteri, cui promissor offerendo pecuniam nihil agit l. 16. ff. de duob. reis stipul.

X.

Adjecto quoq;, etiam prohibente creditore qui stipulatus erat l. 106. ff. de solut. recte solvitur, hujusmodiq;, solutionem liberatio sequitur & securitas plenissima §. 4. l. de in util. stipul. l. 12. §. 1. ff. de solut. l. 7. §. 1. ff. de const. pec. nulla habita personæ adjectæ ratione, nam & qui sub tutore est, sine ejus autoritate l. XI. ff. de solut. & servo l. 9. ib. recte quod in stipulatum deductum est, pendi potest. Finitur tamen adjecto solvendi potestas, si hic capite fuerit minutus, statusq; ejus mutatus in deterius l. 38. in pr. h. t. Si creditor principalis petat in judicio debitum, lisq; cum eo sit contestata l. 57. §. 1. ibid. Si humanicus quid ei contigerit, neq; enim heredi ejus recte solvitur l. 81. ff. ibid. Si soli stipulanti nominatim constituerit quis se soluturum l. 8. ff. de constit. pec.

XI.

Illud liquidum est, ex jussu vel ratihabitione creditoris alii solvi posse l. 4. 22. C. de solut. l. 49. 58. ff. eod. Sic Procuratori (idem est in dispensatore l. 51. seu servo pecuniis exigendis præposito l. 18. hic) vero i. e. cui vel mandatum specialiter hoc vel omnium bonorum administratio imposita, commissaq;, recte quod debetur præstari, docent l. 12. in pr. 34. §. 3. h. t. non item falso nisi commune opinione reputetur esse procurator creditoris cujus intuitu ei solvitur. *Andreas Tiraquelus in Legib. Connubial. part. XVI. gloss. VIIII. Super verba. La femme est en pouvoit de son mary i. e. uxor est in potestate mariti n. 148.* neu ad lites constituto *Josephus Ludovicus Assisiensis conclusionem 34. n. 27.* nec isti primo revocato mandato, nisi quis bona fide solverit, ignorans id revocatum arg. §. 8. l. de mand. l. p. ff. de reb. cred. l. 7. §. 2. ff. pro Emptore.

XII.

Verum enim vero quosdam invenimus in capaces a Il pronunciarum crediti accipiendi, in hoc ut liberatio debitoribus contingat, tales sunt propter nullum intellectum, & judicii instabilitatem impubere

berēs, quibus solis solvere eum aliquo illorum damno est iactare suum & profundere miserè l. 28 ff. de pact. l. 15 ff. h. t. manent quippe hi tales inconculsi pecuniarum erogatores nihilominus obligati nec quicquam illis prodest facta nummorum representatio, nisi pupilli ex in locupletiores redditi fuerint i. e. saluum habeant æs illudq; extet, vel in rem utiliter versum, vel eo aliquid comparatum sit: breviter si non deprehendantur pauperiores facti, eo tempore, quo denuo creditum suum petunt l. 47. §. 1. h. t. l. 4. ff. de exception. arg. l. 50. ff. de donat. int. Vir. & Ux. l. 3. §. 1 ff. de rem vers. §. 2. 1. quib. alien lic. l. 25. §. 1 ff. de hered. petit. quibus casibus, non quidem jure ipso, sed doli mali exceptione pupillus submovebitur l. 66. ff. h. t. l. 4. §. 4 ff. de dol. mal. & mer. Except. bis idem contra bonam fidem exigens l. 57. ff. de R. l. in 6 l. 14. de cond. indeb. l. 206. de R. l. Illud ferè oblitus fueram dicere, debitori qui pupillo solvit, probandi onus incumbere, demonstrandumq; esse hunc factum locupletioem l. 2. §. ff. de Probat,

XIII.

Ergone melioris condicionis erit debitor pupillaris quam alii huicq; licebit differre solutionem, usq; dum in suam tutelam venerit pupillus? nequicquam vero, justo certe tempore pendere atq; prestare necesse habet, ad quod obligatus est, sed adhibita tutoris auctoritate, imò ne illa quidem sufficit jure novissimo sola, ut plenissima securitas sequatur, sed decreto magistratus opus est §. ult. l. quib. alien. non lic. l. 25. C. de administ. int. at tutori (vero non falso, non polluto crimine suspecti & de eo accusato) ipsi cujuscunq; generis sit, rectè solvi posse docet l. 14. l. 100. ff. de solut. l. 46. §. 5. ff. de admin. tut. etiam uni ex pluribus d. l. 14. §. 5. de solut. quoniam eorum obligatio una est, qua pupillo tenentur l. 55. in pr. ff. de admin. tut. l. 2. C. de div. tut. nisi testator aut magistratus pluribus constitutis uni ad ministrationem dederit, tum enim aliis non rectè solvitur l. 47. in pr. ff. de admin. tut. l. 14. §. 1. ff. h. t.

XIV.

Impuberibus accense minores, quibus ob lubricum ætatis, cum rerum suarum ad ministratio committi non debeat, solvi quoq; sine curatoris consensu nequit l. 1. §. 2. ff. de mtnor. 25. ann. Unde si velie debitor exonerari accrescentium usurarum damno atq; mole, minorem non habentem curatorem à magistratu ad eum petendum compellen-

pellendum aut pecunias in æde sacra judiciovè depõendas nonnemo
svadet. Sed nec solus consensus curatoris tutum præstat debitorem,
cum minor ad restitutionis beneficium in integrum confugere possit
veluti ad indemnitate asyllum etsi autoratus fuerit tutor, nisi judicialis
sententia accedat, atq; approbatio *l. 47. §. 5. & fin. ff. de admin. tut. l. 1.*
C. si advers. solut. Eadem hæc, quoad curatoris scilicet consensum
dicta defurioso, mente capto prodigo volumus.

XV.

Adhuc satis pro re nata dictum, quibus solvendi, vel non, so-
lutumq; accipiendi, vel non accipiendi facultas sit concessa, expen-
dere nunc porro operæ pretium fuerit, quid sit solvendum & quo-
modo; Generaliter solutio fieri debet, secundum juris communis
dispositionem: scilicet præstari convenit id, quod debetur, non aliud,
sive res debeatur sive factum *l. 1. ff. de reb. cred. pr. I. quib. mod. oblig. roll.*
De re dicemus postea: Facti exemplum hoc esto: Si navim à se fa-
bricandam quis promiserit, & hoc specialiter actum sit, ut suis ope-
ris id perficiat fidejussor ipse. ædificans non consentiente stipulato-
re non liberat reum *l. 31. ff. de solut. l. 26. §. 12. de cond. indeb.* Est quippe
certissima juris regula, creditori aliud pro alib obrudi non posse *l. 2.*
§. 1. ff. de reb. cred. l. 17. C. de solut. Pileus Modicensis *questione 69. ibi*
quod possit, Vitalis de Cambanis & Celsus Hugo Cabilionensis in tr. clausu-
larum cl. de absolutione à Juramento, quæ tamen instar cæterarum
suas patitur exceptiones, quarum nonnullas adnotare lubet.

XVI.

Efficitur vero id, ut aliud possit solvi pro alio partim conventi-
one ab initio interposita e. g. si quis decem promiserit in melle, & hoc
casu donec lis contestata fuerit, ea res solvi potest *l. 57. de solut.* vel si
nihil quidem convenit, creditor tamen à debitore rem aliam offerente
eam acceptet, tumq; solutio liberatione eim parit, nisi error intervenerit
l. 17. C. de solut. l. 50. ib. Aymon Cravetta part. 4. consil. 592. n. 110. verb. abunde
igitur sufficit & p. 5. cons. 966 n. 25. verb. quoniam nihil prohibet, partim jure
tribuyente potestatem hanc *l. 7. ff. de Noxal. act. non. §. 1. l. de offic. Jud. partim*
testamento l. 1. ff. de pæn leg. 19. ff. quand. dies leg. ced. l. 1. §. 1. ff. ad L. Falcid.

XVII.

Vtlerius aliud pro aliud solvitur, cum ipsa res debita sisti nequit,
quod pluribus modis potest accidere g. e. si quis confiteatur se debere,
justam

Justam autem causam adferat; cur utiq; præstare non possit, finge alienam rem legatam esse, dominumq; aut nolle eam vendere, aut non nisi immenso pretio velle, audiendus est heres, æquissimumq; concedi ei ex causa hac officio Judicis, æstimationem præstare l. 71. §. 3. ff. de leg. .i. Si non existeret amplius corpus in obligationem deductum, quod enim deperit, per naturam rerum non potest dari l. 8. in fin. pr. ff. de cond. furtiva l. 68. ff. de R. V. quid si debitor ad egestatis terminos redactus sit: tum si penissimè lapsus bonis fuerit, qui nudo detrahere vestimenta frustra moliris, nihil consequeris, at si aliarum, præter eam, quam debebat copiam habuerit, ex his indemnitati tuæ pro arbitrio consulere licebit. Nov. 4. c. 3. & desumptâ ex ea aut. Hoc nisi debitor C. de solut.

XIIX.

Ex iis quæ attulimus intelligere in facili est, regulariter ipsum, quod debetur præstandum, unde si deductæ sint in obligationem, res, quæ pondere, numero, mensurave constant; reddendæ erunt non tantum in eadem quantitate, sed etiam in eadem bonitate; an ergo nummi in eodem monetæ genere necessario renumerandi, in quo mutuo dati sunt? vulgo dd. creditur pecuniam diversæ quidem formæ, sed non diversæ materiæ reddi posse, puta non argentum pro auro, non pro argento æs *Andreas Tiraquellus de Reraicâ Lignagier seu de Retractu municipalis* §. 1. glossa 18 n. 30 *Purpuratus cons. 522.* Ego vero cum *Hötom. quest. illustr. 15. Donell. ad L. 3. n. 20. ff. de Reb. cred. Hieronymi Saporis, ad l. 4. de V. S. existimo, debitorem pro aureis nummis argenteos & pro thaleris mutuo acceptis aliam monetam solventem liberari, atq; ita Anno 1612. quater pronunciatum in Dicasterio Septemvirali Saxonico. seu Scabinatu Lipsiensi testatur Benedictus Carpozovius Jurispr. Forensi Romano Saxonica part. 2. constit. 29. defin. 2. nisi exinde damnum passurus sit creditor aut incommodum l. 99. ff. de solut. l. 1. §. 1. l. 35. ff. de aur. & arg. leg. ita e.g. pro magna quantitate mutuatorum aureorum non sunt invito creditori meri oboli & dioboli obtrudendi *Arius. Pinell. ad rubr. C. de rescind. vend. p. 1. c. 3. n. 16.* quo pertinet *Constitutio Ferdinandi Imp. promulgata Anno 1559. Augusta Vindelicorum* §. Die ist bemelte ib. was unter den fünf Erenhern nec moneta, quæ ad alia profecturo loca nulli usui esse potest die an dem orte nicht genge und gebe ist. *Math. Colerus de proceff. executiv. part. 1. c. 10. n. 8.* Ita si ab initio convenit, ut in certa specie*

cie monetæ p[er]ta aureis, thaleris solvatur, wenn auff ganze oder specie Reichsthl. oder Goldgülden oder stück vor stück gehandelt ist standum, ejusmodi pactis addubitare religio est propter l. 48 ff. de pact. & adhunc modum disponit Imperii Const. ante citata die ist gemelt in verb. aber was hieb vor auff Gold getheidinget & sic respondisse Scabinos Lipsien- ses prodit all. loc. Carpz.

XIX.

Non licet nobis tacere quæstionem, nobilitatam litigiis, ad quam multi qua veteres, qua novi veluti infamem scopulum ambiguitq; dissentientes obhæserunt; scilicet cujus commodo damnove moneta commutetur? Invenies qui Intrinsicam inter & extrinsicam bonitatem constituent discrimen. Intrinsicam appellitantes, quæ consistit in materia, pondere, eandemq; mutari, si pecunia ære contamine- tur, aut quod rarissime fit sincero additamento aggravescat. Wann schrod und forn an der Münze gemindert oder verbessert wirt. Extrinsicam, quæ a valore & æstimatione dependet, mutariq; hanc ajunt, si illa decrescant aut augeantur. Wann der valor, und der werth verendert / dadurch die Münze gesteygert wirt oder fällt und abnimpt. Cæterum pacta prævia disputatiunculas omnes quæ super hac re oriri possunt, feliciter extingvere ex l. 28. ff. de pact. l. i. §. 6. D. depof. l. 23. de R. l. prædiximus. Unde si convenerit, ut g. e. thaleri in ejusdem materiæ pondere reddantur, quidcunq; tandem accidat monetæ, nihil ad creditorem attinet, cum placitis omni modo stare addeceat; Sed quid si nihil pactum, bonitasq; intrinsicam mutata fuerit? potior Dd. pars solutionem fieri debere, secundum æstimationem valoremq; antiquæ monetæ, quæ erat, tempore contractus, ut omnè commodum pariter & incommodum debitorem maneat, illeq; aucta moneta, augmentum detr- here, eadem deminutâ supplere quod deficit, possit debeatq; it confi- denter adstructum Myus, cent. 4. O. 1. Gail. l. 2 O 73. Boërius. decis. 327. Guido. Papa quæst. 493. Cothman. v. 1. conf. 34. Carpzov I. F. p. 2. C. 28. d. 4. quibus facius crediderim accedere tam discordantibus sententiis, etsi contrarium defendentes, tempusq; solutionis attendendum propugnantes rationibus satis plausibilibus nequicquam destitui lubentes confiteamur cum Matthia Berlichio part. 2. Conclus. 35. n. 37. Quirino Cubach cent. 2. Quæstion. illustr. decur. 7. q. 7.

B

XX. Pa-

Parili ratione dissentitur circa Extrinsecæ bonitatis mutationem, quam moneta quandoq; experitur; sive tempore contractus florenum valuisse 24. solidos Lubecenses; aut ubi solvendum aestimari eum vel 28. vel 20. tantum, quid quæso, quantumq; erit reddendum? Nonnulli tempus Solutionis inspiciendum statuunt, ita ut commodum, si floreni mutuo dati extrinsecus sint aucti, incommodumq; si valor eorum sit deminutus omne creditor perferat, nisi debitor in mora fuerit, propter quam non injuria tenetur. *Johan. Borcholt. tr. de reb. cred. C. 7. n. 17. Vvesenb. in w. eod. n. 12. Sneydv. ad §. 15. l. de action. n. 17. Zanger. de except. p. 3. C. 1. n. 173. Fachin. l. 2. contr. C. 9.* alii distinguunt inter monetæ mutationem repentinam, quam creditor prævidit, præscivitq; & Serius atq; ex intervallo accidentem quæ eum latebat; isto modo debitori consulendum agentes, cum nondum potuerit vertere in utilitatem nummos acceptos, sed reddat eosdem; hoc creditori ne ubi pecunia usus & fructus est, cum jactura creditoris locupletetur *Baldus ad l. 9. C. de usur. alii deniq; existimant contractus initium tempusq; esse inspiciendum Carolus Molinæus in tr. de mutat. mon. seu de usur. quæst. 90. n. 3. Myns cent. 4. O. 1. Regn. Sixt. tr. de Regal. l. 2. c. 7. n. 149. Hotom. quæst. illust. 15 Nicol. Everh. a. Middelb. conf. 150.* Certè haud tutum est, incedere per ignes suppositos cineri doloso, utramvis enim opinionem amplexeris, habebis adversarios & obliquantia præjudicata, nobis tamen novissima ex his placet, tueri eam paratis.

XXI.

Ad solutionem nummorum legitimam & illud requiritur ut ad dantem pertineant, nam si quis alienos quasi suos invito vel ignorante Domino solvat, quamdiu illi exstant, non liberabitur *l. 17. ff. h. t.* quamvis si pergat petere nummis integris creditor, quod sibi debetur, nec offerat, quod accepit, exceptione doli submoveatur *l. 94. ff. ibid.* æquitas enim & ratio naturalis non patitur, ut idem bis exigatur *l. 57. de R. l. l. 12. ff. de dol. mal. & met. exc.* Si vero aut consumpti sint aut conflati, nova species inde facta, aut ita permisti aliis ut discerni non possint, ejus fieri qui accepit, ita ut actio domino cum eo, qui dedit, furti competat in libris Gaii Scriptum fuisse *Javolenus attestatur in l. 78. h. t.* quod accipe ita, si creditor bona fide eos consumserit

plerit h. e. ignorans alienos esse, ac si mala fide id fecit, dominus sub-
ductos sibi nummos non minus rectè vindicare poterit, quam si ad-
huc exstarent integri l. 131. l. 150. de R. I. l. 68. 69. ff. d. R. V. quod si com-
munes solvantur, pro parte tantum nascitur obligatio.

XXII.

Sufficiant hæc de quantitate; sequitur species e. g. homo stichus,
fundus Tusculanus, quam si quis debeat, ejus ipsius solvendæ neces-
sitate, dominiq; transferendi adstringitur l. 75. §. ult. ff. de V. O. quâ evictâ
manet obligatus l. 20. ibid. ut & ad illud, quod ei deest. g. e. Si a Titio
fundum stipulatus fuero Sempronianum, ille detracto usufructu sol-
vendo fundum non liberabitur, quin rectè ab illo servitutem quoq;
illam peto l. 56. §. 7. ff. de V. O. Sane si species debita absq; mora, cul-
pa, factove debitoris fataliter intereat, propter hoc naturale factum,
æq; liberatur ac si solvisset l. 92. ff. h. t. l. 5. §. f. ff. de Rescind.
Empt. l. 3. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 23. ff. de V. O. Idem
juris est, si dicto modo commercio hominum eximatur l. XI. de ser-
vit. §. 2. l. de inutil. stip.

XXIII.

Generis alicujus debitor, e. g. hominis, Leonis, vaccæ libera-
tur, si speciem solvat, illiusce generis, puta Stichum vel Cajum,
hunc illumve Leonem, hanc illamve vaccam l. 13. ff. de legat. 1. quippe
hominis (idem judica de cæteris rebus generaliter relictis) legatum ora-
tionis compendio singulos homines continet, inquit Papinianus in
l. 66. §. 3. ff. de legat. 2. atq; cum is, qui generaliter hominem promisit,
similis sit ei, qui hominem aut decem debet l. 32. §. 3. ff. de condit. in-
deb. in alternativis vero electio sit non creditoris, sed debitoris l. 2. §. 3.
ff. de eo quod cert. loc. dari oport. l. 10. §. ult. ff. de jur. dot. l. 12 l. 106. ff. de V.
O. e. in alternativis & ibi Dd. de R. I. in Vlto, arbitrio hujus solutio erit
relinquenda l. 13. §. 4. ff. de acceptil. dummodo is qui debet, pleno ta-
lium rerum dominio creditorem instruat, ut hic eas res habere possit
l. 29. §. p. ff. de legat. 3. g. e. solventi hominem noxæ deditum, vel non-
dum noxæ exemptum, non nascitur liberatio vid. l. 38. §. 3. l. 69. l. 72. §.
5. ff. de solut.

XXIV.

Illud ad formam solutionis quoq; pertinet & secundum veteres

B 2

recen-

recentioresq; & quod præcipuum est secundum fori usum, quod totum debitum offerendum sit creditori l. 6. verb. totius C. de solut. l. 13. §. 8. verb. & ideo si pretii partem ff. de action. Empt. l. ult. ibi. Universum C. de bit. vend. pign. imp. non poss. l. f. verb. residuum C. de luit. pign. nec is cogi queat ad partem acceptandam, cum solutio particularis non pauca habeat incommoda l. 3. ff. famil. Hercisc. l. 41. §. 1. ff. de usur. Treutl. v. 2. disp. 29. §. 2. l. B. Goed ad l. 32. de V. S. Sneyd. ad §. 1. l. quib. mod. oblig. toll. Modestinus Pistor. part. 2. Illustri quæst. 97. n. 2. quod verum nisi contrahentes de particulari solutione convenerint l. 48. ff. de pact. vel X. petantur à creditore, debitor vero non nisi V. se debere contendat, tum enim V. acceptis, partem residuam, quæ nondum aperto jure nititur in judicio persequi habet necesse l. 21. ff. si cert. pet. vel solutio promissa sit duobus in locis, nam si quis ita stipuletur: Ephesi & Capuæ dare spondes? hoc ait ut Ephesi partem & Capuæ partem petat l. 2. §. 4. ff. d. t. sic & particularis solutio toleratur atq; licita est, in pensionibus annuis publicis l. 4. C. de Collat. fundi patrimon. item si obligatio divisa sit inter cohæredes l. 81. ff. de solut. Si servus jussus fuerit liber sub conditione, si X dederit l. 4. §. 6. ff. de statulib. Nec inepte huc acciverim eos, qui ex indulgentia D. Pii beneficium competentis se exigendi habent l. 29. ff. de re jud. qualis Pater & DN. qui ex contractu filii servive §. 10. 36. l. de action. aut ab ipsis illis §. 38. ib. maritus si dotis nomine l. 5. §. 7. C. de rei ux. action. Socius si à socio l. 16. ff. de re jud. donator, si à donatario l. 28. de R. I. l. 12. de donat. qui bonis cessit, si denuo & secunda vice conveniantur §. ult. l. de action. l. 4. C. qui Bon. ced. poss. & alii. Hi enim non solidum solvere compelluntur, sed eatenus tantum tenentur, quatenus facere possunt, quatenus facultates eorum patiuntur; in condemnatione enim personarum, quæ in id quod facere possunt, condemnantur, non totum quod habent extorquendum est, sed ipsarum ratio habenda, ne egeant l. 173. de R. I. quod beneficium ad evitandam carceris molestiam bonorumve cessionem inventum concessumq; docet Vvesenb. in τ. quod cum eo qui in al. pot. neg. gest. n. 3. Illico ummius disp. ad Process. jur. dir. ult. §. 5. Ad summam regulariter totum quod debetur, solvere Judex hodie jubet, ut sentiunt Vvesenb. in τ. de solut. n. 5 Hugo Donell. ad L. 21. ff. si cert. pet. Bachov. ad Treutl. v. 2. d. 29. §. 2. l. B. Arumens Exercit. 16. ad τ. §. 2. Hackelman. disp. 9. illustr. quæst. §. 9. & disp. 22. Coroll. 1. Emanuel Searetz in thesauro

thesaur. recept. sent. in lit. P. n. 19. Andreas Rauchbar question. jur Civil & Saxon. 21. n. 31. B. Carpzov. Lib. 5. Respons. Tit. 9. Resp. 99. & Jurispr. For. R.S.p. 2. Const. 28. defin. 13.

XXV.

Præterea temporis quoq; in solutione habenda ratio est, nec inopportuno præsentandum quod in obligationem venit *l. 39. ff. de solut. l. 12. C. de Contrah. & committ. stipul. l. 137. §. 2. D. V. O. §. 33. l. de action. l. 12. §. ult. ff. de V. S.* Ita die non nocte Solvendum, quod hac intelligi nequeat, an proba sit moneta, an reproba vult *glossa in l. moræ 8. ff. de feris And. Tiraguell. de Retract. Lignagier gloss. XI. n. 10.* Ita purum debitum confestim peti potest *§. 2. l. de V. O. l. 14. ff. de R. I. O. nisi locus adjunctus spacium temporis inducat l. 41. §. 1. D. de V. O. aut res ipsa exigat dilationem, veluti si id quod in utero est, vel fructus futuros, vel domum ædificari stipulatus sisl 73. ff. d. t. Sed hoc tamen cum aliquo temperamento. seu ut *l. 13. h. t.* loquitur *ἐν πλάτει* cum laxamento & amplitudine temporis est intelligendum; neq; enim cum sacco paratus stare cogitur qui jure obligatus est *l. 105. de solut.* Sed interpellato aliquod spacium indulgendum *l. 5. §. 1. ff. de collat. bon.* Unde antiquitus debitoribus ex *LL. XII. Tabul. XXX. dierum Gothofredus ad l. 2. C. de usur. rei jud.* post duorum mensium induciæ dabantur *l. 31. ff. de re jud. Petr. Gregor. Tholos. Syntag. J. II. L. XXI. C. 18. n. 25.* Hodie mensium IV. conceduntur, si ex re judicata agatur *l. 2. C. de usur. rei judic.* jure Justiniano; VI. vero vel trium pro re nata septimanarum ex Ordinat. Provinc. Mecklenburg: *p. 2 T. 37. von Execution und Vollstreckung der Urtheil 14.* tantum dierum hic *Rostochl Gerichtsordnung der Stadt Rostock p. 2. T. 26.* ad eum modum constitutione Imperii novissima, promulgata *in Comitibus Ratisbonensibus Anno 1654. §. nach dem auch in dem Friedensschluß* debitoribus vel belli cladibus, vel usurarum gangræna attritis debilitatisq; induciæ triennales sunt indultæ, quod Imperii scitum *Serenissimi Principes nostri anno præterito 1655. 15. Augusti* non tantum sanctione sua approbavere, sed etiam spacium illud clementer ampliavere; ut iis, qui plane solvendo esse desierunt ad sexennium procedat.*

XXVI.

Cum solutio ejus sit quod debetur, quis non intelligit, antequam

B 3

quam

quam deberi quid incipiat, ad solvendum neminem compelli posse; Unde sub conditione promissum exigi nisi ea existente atq; impleta nequit *l. 213. ff. de V. S. l. 5. §. 2. ff. quand. dies leg. ced. imo solum indebiti conditione repeti l. 48. ff. de condict. ind.* Idem juris est si in diem concepta sit stipulatio, nam & tunc diei vespere expectandus est §. 2. *3. de V. O. §. p. 1. de in util. stip. l. 24. ff. de V. O.* Ita qui certarum nundinarum superest, petere non posse stipulatorem quicquam Proculus & post eum Venuleius responderunt *l. 138. ff. d. t.* Sed an debitum in diem, invito creditori ante diem solvi potest? Affirmo per *l. 70. 98. §. 4. ff. de solut. l. 50. ff. de O. & A. l. 12. C. de Fidei. & ita sentiunt non sine probabilibus rationibus Tholos. Synth. l. II l. 22. c. 18. n. 31. B. Brissonius de solut. p. m. 348. Ant. Hering. de Fidei. C. 22. n. 7. Carpzov. Jur. For. R. S. p. 1. C. 28. def. XI. Hackelm. ill. Quæst. disp. IX. 0. IX. nisi in gratiam creditoris adjiciatur dies, tum enim hoc invito non poterit per debitorem solutio anticipari *l. 15. ff. de ann. leg. l. 43. §. Pegasus ff. de leg. 2. l. 3. §. 3 ff. de usur. Vult l. 1. 7. R. C. 53. n. 124. Anton. Faber. in Codic. l. 8. tit. 29. def. 14.**

XXVII.

Non parvi quoq; interest creditoris, ut sibi commodo loco solvatur. Commodus vero locus dicitur, in quo debitor numeraturum se nummos recepit *l. 122. ff. de V. O.* Unde si alio pecuniam obferat invito stipulatori, nihil agit, nec constituitur in mora creditor *l. X. ff. si cert. pet.* nisi justa causa adsit e. g. Locus solutioni destinatus chasmate absorptus, aut aratrum passus sit arg. *l. 185. de R. I.* vel nihil interfit creditoris alio loco solvi arg. §. 18. *I. de inut. stip. vid.* tamen limitationem prioris in *tit. ff. de eo quod cert. loc. dar. oport. & Donelli commentar. ad illum.*

XXIIX.

Properamus ad finem, dicimusq; finem & effectum solutionis esse, ut obligatio tollatur *l. 95. §. 4 ff. de solut. pr. I quib. mod. oblig. toll. l. 15. ff. Rem. rat. hab. l. 5. C. de pact. M. Uranius Tom. 2. consil. 22. n. 8.*

Duare

Duarenus ad tit. de solut. C. 6. A. Gylmannus Symphorem. Tom. 1. p. 3. Vois
X. n. 4. libereturq; non tantum reus principalis nexu ejus, sed & ac-
cessiones i. e. ad promissores, hypothecæ, pignora l. 43. ff. de solut l.
71. ff. de Fidei. l. 3. §. 1. ff. de duob. reis stipul. Sed quid si debeatur ex
pluribus causis atq; solvatur nummorum aliquid, in quam illud est
imputandum? certi juris est, debitori permissum id exprimere, ejusq;
voluntati acquiescendum l. 1. pr ff. de solut. l. 1. C. eod. 1. VVesenbec. part.
1. consil. 25. n. 9. quod si ille taceat, electio ad creditorem convertitur,
ejusdemq; arbitrato relinquitur, cui debito id quod solutum est ac-
ceptum ferre velit, modo se gerat heic, ut decet Virum bonum i. e.
ira accepto ferat, ut in suo nomine constituisset l. 3. ff. d. t. Hartmann.
Pistor part. 3. q. 21. n. 7. Cujac. l. 5. obs. 34. Donell. 16. Comm. 12. Dèniq;
utriusq; demonstratione cessante, si plura sint nomina, ex horum,
qualitate adjudicandum est, quodnam debitum solutum censeatur.
Ubi considerandum est, quod liquidum, quod purum, quod condicio-
nale &c. imprimis vero in dubio, semper id, quod solvitur in duri-
orem causam solutum videtur l. 5 ff. de solut. Ant. Fab. in Cod. l. 8. T. 29.
def. 31. n. 6. Paulus de Castro p. 1. consil 331. n. 4. Gravior seu durior vero
dicitur causa famæ, unde quæ sub infamia debetur pecunia, potior
habetur l. 7. 95 ff. de solut. item quæ pœnam continet, item usuraria,
item quod sub satisfactione, pignoribus, fidejussoribus debetur l. 4.
ff. ibid. egregiè graviorum causarum gradus explicat Jacob Menochius de
arbitr. jud. quæstion casu 493. Summatim multum hac in re boni Vi-
ri, seu religiosi judicis arbitrio est tribuendum, quem tamen omni-
no addebet Papiniani præscripto inhærere quod præsentatur in l.
65. ff. h. t.

XXIX.

Illud non est prætermittendum quomodo solutio, quæ facti
 est atq; inde demonstranda l. 1. C. de Probat. l. 10. C. de non num. pec.
 Aymon Cravetta part. 3. cons. 550. n. 5 & part. 5. consil. 370. n. 1. Daniel Moller.
 l. 4. Semestrium cap. 19. in ipso princ. probetur. Probatur vero confes-
 sione creditoris Carpzov. Jurispr. for. R. S. p. 1. Constit. 16. defn. 41. n. 7.
 nec non juramento debitoris permittente giudice Idem part. 4. const.
 18. defn. 15. n. 3. & secundum J. Mascard. vol. 3. de probat. concl. 1318. n.
 26. & Meo

26. & Menoch. l. 3. præsumpt. 35. n. 2. præsumptionibus atq; conjecturis non futilibus, quales sunt ex diuturnitate temporis, silentio desumptæ, nempe ubi creditor distulit per multos annos petere creditum, tum enim illorum sententia, præsumitur solutio facta, plures casus habet Carpzov. p. 2. const. 29. def. 12. & 13. & part. ead. const. 2. def. 7. & 8.

XXX.

Ad ultimum ad finia solutioni sunt, oblatio & depositio rei debitoræ, confusio obligationis, delegatio aliaq; de quibus in *l. 13. prædiximus*. Contraria vero & impediencia, ne constringi ad eam, quis adigiq; possit, Exceptiones variæ, de quibus examusim & plenissime agit *Joh. Zangerus de E. p. 3. c. 1. aliquot seq.* Nos quibus tantum licuit amplissimum argumentum hoc delibare, pedem hic figimus.

Deo Soli Gloria.



Florentissimo & eximio

Dn. Gottfredo Beggerovio Pom.

Publicè disputaturo!

P rimitias Themidi studiorum rite tuorum
Ad famam prompta conditione sacras,
Gottfrede? Apparet magni hinc industria cultus;
Et majora dabit messis opima bona,
Namq; ex primitiis, si gloria tanta refulget,
Quid, quæ laude paras, horrea plena dabunt?
Primitiis adsit, qui primus & ultimus, hisce
Primitiis sancti flaminis ipse Deus.

*Scrib. amoris mnemosynon
cum bono omine & voto*

Joh. Georg. Dorscheus D.

~~~~~

**Q** uæ debes Themidi, BEGROVI candide, solvi,  
Dum quæ debemus, solvere ritè doces.  
Si tu Justitiæ tua debita solvere perges;  
Mox tibi cum lucro solvet & illa suum.

Henricus Rahne, J.U.D. & Prof.

~~~~~

BEGGEROVIVS

per anagr.

SURGE ! VIGEBO.

S URGE, mei Spes magna fori, TREPTOVIA dicit:
IN viridi MATER PROLE VIGEBO meâ.


AL.

ALIUD.

Patria MATER ait, FILI lectissime, SURGE!
Auspiciis cœli fortè VIGEBO, refers,
Quid melius patriæ speret sibi confore tellus?
Quid patriæ melius pollicear tuæ?
Dicam, si votis responderit exitus; ò QUAM
CONVENIUNT REBUS NOMINA SÆPE suis!

*stans pede in uno
deprop.*


Andr. Tscherningius,
P. P.




Cui Themis incorrupta dedit spinosa viarum,
Ditasse Baldi climata.,
Næ! sibi, næ! quoties somnum discussit Iste,
Partemq; noctis maximam!
Tu, GOTOFREDE, tamen juris superare charybdin,
Impendis omne temporis!
Hinc Tibidaphneo quos ducunt pollice flores
Novensiles, en! accipe.

*festin.
suo inter paucos dilecto
BEGGEROVIO*

Michael Bürgerus,
Cammino-Pomeranus*





Duarenu ad tit. de solut. C. 6. A. Gylmannus
 X. n. 4. libereturq; non tantum reus princ
 cessiones i. e. ad promissores, hypothecæ,
 71. ff. de Fidei. l. 3. §. 1. ff. de duob. reis stipul.
 pluribus causis atq; solvatur nummorum
 imputandum? certi juris est, debitori per
 voluntati acquiescendum l. 1. pr ff. de solut.
 1. consil. 25. n. 9. quod si ille taceat, electio
 ejusdemq; arbitrati relinquitur, cui debi
 ceptum ferre velit, modo se gerat heic, t
 ita accepto ferat, ut in suo nomine constit
 Pistor part. 3. q. 21. n. 7. Cujac. l. 5. obs. 34. De
 utriusq; demonstratione cessante, si plur
 qualitate dijudicandum est, quodnam de
 Ubi considerandum, quod liquidum, que
 nale &c. imprimis vero in dubio, semp
 orem causam solutum viderur l. 5 ff. de solu
 def. 31. n. 6. Paulus de Castro p. 1. consil 331. n. 4.
 dicitur causa famæ, unde quæ sub infamia
 habetur l. 7. 95 ff. de solut. item quæ pœna
 item quod sub satisfactione, pignoribus,
 ff. ibid. egregiè graviorum causarum gradus
 arbitr. jud. quæstion casu 493. Summatim
 ri, seu religiosi judicis arbitrio est tribuend
 no addecet Papiniani præscripto inhære
 65. ff. h. r.

XXIX.

Illud non est prætermittendum que
 est atq; inde demonstranda l. 1. C. de Proba
 Aymon Cravetta part. 3. cons. 550. n. 5 & part. 4.
 l. 4. Semestrium cap. 19. in ipso princ. probetur
 sione creditoris Carpzov. Jurispr. for. R. S. p
 nec non juramento debitoris permittente j
 18. defn. 15. n. 3. & secundum J. Mascard. vol.

om. i. p. 3. voio
 , sed & ac
 ff. de solut l.
 debeat ex
 am illud est
 imere, ejusq;
 esenbec. part.
 convertitur,
 utum est ac
 bonum i. e.
 t. Hartmann.
 12. Dèniq;
 ex horum
 a censeatur.
 od condicio
 vitur in duri
 Cod. l. 8. T. 29.
 durior vero
 nia, potior
 m usuraria,
 debetur l. 4.
 Menochius de
 re boni Vi
 amen omni
 entatur in l.

, quæ facti
 on num. pec.
 Daniel Moller.
 ero confeso
 defn. 41. n. 7.
 part. 4. const.
 oncl. 1318. n.
 26. & Meo

